MASTER NEGATIVE NO. 91-80229-22

AUTHOR:

WACHSMUTH, WILHELM

TITLE:

DE PINDARO REIPUBLICAE...

PLACE:

KILIAE

DATE:

[1824]

Master Negative #

91-80229-22

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P63
DZ8 Wachsmuth, Wilhelm, 1784-1866.
v.4 ...De Pindaro reipublicae constituendae et gerendae praeceptore disputatio II. Kiliae, typis C.F Mohr, [1824]
25 p. 22½ cm.

At head of title: Natalem Friderici VI...Solenni oratione...1824 publice celebrandum...indicit W. Wachsmuth...

Volume of pamphlets

G1971

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.12.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no. 1

NATALEM

FRIDERICI VI

AUGUSTISSIMI ET CLEMENTISSIMI REGIS
OPTIMI PRINCIPIS

ALBUM ET LAETABILEM

SOLENNI ORATIONE

IN AUDITORIO MAIORE
HORA XII
HABENDA
DIE XXVIII JANUAR. MDCCCXXIV
PUBLICE CELEBRANDUM
MANDATO RECTORIS ET SENATUS
ACADEMIAE KILIENSIS
OBSERVANTISSIME INDICIT

W. WACHSMUTH,
D. PH. PROF. ELOQUENT. P. O.

Inest de Pindaro reipublicae constituendae et gerendae praeceptore disputatio II.

KILIAE
TYPIS CHRIST. FRID. MOHR.
1824.

Quoniam adhuc de iis disputavimus, quae Pindarum reipublicae constituendae gerendaeque praeceptorem popularibus commendaverint, rursus, ut ejusmodi status et auctoritatis omnia momenta observentur, ea quoque sunt perpendenda, quae, pro eo quod Pindari musa, licet privatis plerumque hominibus addicta, publici fere fuit juris, sive per se, sive per rationem partium a Pindaro actarum, ipsius statum labefecisse, fidem ambiguam reddidisse, mores adspersisse maculis, atque de auctoritate derogasse videantur. Haec autem quaestio tribus potissimum continetur capitibus, quorum primo Boeotorum uti pinguis ingenii hominum per Graeciam existimatio pravaque Thebanorum in Xerxis bello consilia, altero discordia, quae Graecos per totam fere Pindari aetatem agitabat, tertio reipublicae constituendae et gerendae Graecorum diversa studia, personaeque, quam Pindarus apud alienarum civitatum principes gesserit, species ambigua sunt aestimanda.

Igitur quae primo loco posita est dubitatio, num Pindari Thebani, Boeotis ob pinguem Minervam male audientibus, apud reliquos Graecos fuerit existimatio, ei in universum occurrendi

haud deest copia. Quippe ea bonarum artium apud Graecos fuit conditio, ut quae inde existerent praeclarissima quaeque, ea per se magni fierent, neque propterea quod extrinsecus ad earum cultores ignobile aliquid pertineret, horum status, ingenio et arti innixus, minus haberetur nobilis. Quamobrem si quae virorum, scientia et arte seu quavis alia virtute clarorum, patriae adhaerescebant maculae, hae adeo non ad illorum existimationem redundare solebant, ut hac illae nonnunquam eluerentur singulorumque merita in universos transferrentur. Quam persuasionem Pindari, ut decuit, fuisse, e locis nonnullis, quibus ignominiae istius deprecatio significatur [1]), elucet. In hisce vero non est silentio praetereundum, quae poeticae existimationis haud levissima potuisset existere nota e dialecto Boeotica, non solum hanc Pindari carminibus esse alienam, sed ne ad Doricam quidem stirpem et factionem haec esse referenda. Etenim Dorici sermonis notam iis expressam generis carminum, in quo Pindarus excellebat, solennem quandam et apud universos acceptam speciem significare, poetarum tragicorum chori lyricos modos Doricam ad dialectum accommodantium exemplo aestimes, Pindarum vero epico sermone tanquam fundo usum suo ex aptissimis communis linguae ad oris grandiloquentiam formis concinnasse quod congruum esset, ut communi potius

1) Ol. VI, 152. — ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν λόγοις εἰ φεύγομεν, Βοιωτίαν ὗν. Cf. Boeckh. commentar. p. 152. Fragm. num. 51. p. 584. ed. Boeckh.: ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον.

quam Thebano sermone Graecis loqui videretur [1]), doctissimae, quae super ea re dicta est, sententiae accedens recte censebis. Hujus enim loci expositione Gothofredus Hermannus, V. Cl., quem honoris causa nominatum volo, tam egregie functus est [2]), ut quum vix ejus huc transscribendis abstineam, tum aliis actum agere vanissimum ducam.

Quod vero ad Thebanorum consilia et res in Xerxis bello gestas a patriae communis caritate abhorrentes, pertinet, inter eas quidem Graeciae civitates, quae barbarorum causam ut suam susceperant armisque captis horum signa sequebantur, quibus hominibus facinorosis id aetatis Thebarum consilium continebatur publicum [3]), ii civitatis speciem, ut assolet, prae se ferentes, primas ita egerunt, ut in barbaris benignissime lautissimeque excipiendis mirifice sibi placerent, urbemque suam belli arcem constitui et civium robur in acie adversus patriae propugnatores collocari vel ultro sibi peterent [4]), Martemque ad Plataeas animose dimicando [5]) aliquamdiu ancipitem tenerent. Exercitu Thebano victo ac profligato urbeque obsessa ipsi quidem a civibus, salutem et in-

1) V. Gregor. Corinth. de p. 12. ed. Schaef.
2) V. dissert. de dialecto Pindari 1809, iterum typis excusam in noviss. Pind. edit. Heyn. T. III, p. 250 sqq., ejusque, quod huc facit, exordium in Schaeferi nota ad Greg. Cor. l. 1.
3) Thucyd. VI, 62. Pausan. IX, 6, 1.
4) Herod. IX, 2, 11, 15.
5) Herod. IX, 67.

columitatem ita paratum iri civitati sperantibus, ad supplicium Graecis traditi sunt [1]); nihilominus autem, Thebae ipsorum pravis consiliis usae, bonorum Graeciae civium recenti odio flagrante, ignominia obrutae jacebant. Quae quum Pindarus ipse testificatus sit [2]), num fieri potuerit, ut in communi urbis patriae labe honestum aliquem locum obtineret, apud reliquasque civitates auctoritate gauderet, quaerentibus responsum ex supra dictis petendum est, scilicet Pindari poetica praestantia, quicquid e patriae infamia et invidia ipsi participandum videri possit, esse compensatum, et qualescunque demum partes in istis turbis agere coactus esset, has ad statum poeticum nihil pertinuisse.

Ad aestimandam vero, ut aequum est, personam, quam tempus et respublica Pindaro imposuit, animi, ut patriam amantis, ita gentis commune pio prosequentis sensu, significationem haud infrequentem animum advertamus. Jam primum Pindarus patriae devotissimum se esse quum liquido profitetur [3]), tum ejus decoribus celebrandis opera navata [4]) ostendit. Quod si autem hanc patriae urbis caritatem ad consiliorum ejus perversorum suffraga-

1) Herod. IX, 86–88.
2) Isthm. VIII, (ap. Boeckh. VII.) 12–33. V. Dissen. comment. p. 540, 42, 48.
3) Isthm. I, 4. 5. *τί φίλτερον κεδνῶν τοκέων ἀγαθοῖς;*
4) Haec quidem plurimam partem mythica sunt; V. Isthm. VII. (Boeckh. VI.) et Dissen. comment. p. 529. Proinde in Herculis commemoratione Pindarum se amare nemo mirabitur.

tionem applicare tenteris, cave ne cupidius agas. Polybius [1]) quidem locum carminis cujusdam Pindarici, quo pax commendatur, sive oscitanter seu invidiose interpretatus Pindarum partes barbarorum unanimi consensu amplectendas suasisse contendit. Atqui locus iste de seditione inter Thebarum proceres circa Persarum adventum exorta accipiendus, Pindarique verba pro cohortatione ad componendas turbas intestinas habenda sunt. Quae quum ita sint comparata, quis est tam prave suspiciosus, ut cum Polybio, Pindarum domesticae pacis eo consilio, ut conciliata ea Persarum foedus peteretur, suasorem exstitisse, persuasum sibi habeat?

Rursus post robur civitatis flagitiosissime perditum ejusque juventutem ignominiosa clade prostratam Pindarus dolori quidem, quo affligebatur, indulgens atque pudori [2]), effusisque laudibus, quibus a numerosa poetarum manu rerum contra Persas fortiter gestarum memoria certatim ornabatur [3]), Thebarum vero vulnera

1) IV, 31, 5. Contra Schneiderum (*Ueber Pindar's Leben* p. 38.) Polybio adstipulantem v. Schweighaeuser. ad Polyb. l. l. et Boeckh. ad Pyth. XI, p. 339. 40.
2) Isth. VIII, 12–33.
3) Inter hosce Pindari aemulum, Simonidem Ceum, causa populari ardentissime suscepta insignem fuisse e carminum ad eam pertinentium illiusque nomine inscriptorum commemoratione (*ἡ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχία, ἡ ἐπ' Ἀρτεμισίων ναυμαχία.* V. loc. classic. schol. Aristoph. vesp. 1402.), atque epigrammatum ejusdem generis superstite magna copia, quae si non cuncta ab ejus manu profecta sunt, tamen famam partium ab ipso actarum arguunt, colligitur. V. Brunck. anal. I, Simonid. num. 15. 28–49.

refricabantur, abstinens, nihilominus victoriarum apud Artemisium, Salamina, ipsasque Plataeas, nobilisque ob eas laetitiae et gloriae flores nonnullos carpsit et merito patriae propugnatores passim affecit honore [1]; quod quidem quare lubentius faceret, Lacedaemoniorum et Aeginetarum, quorum illi apud Plataeas cum Thebanis manus haud conseruerant, hi autem in pugna Salaminia fortitudine reliquis omnibus antecelluisse existimabantur [2]), sociale cum Thebanis ante bella Persica foedus arctiorque etiam posthac necessitudo causae aliquid attulisse videtur.

Jam eo pervenimus, unde ad alterum disputationis hujus caput commode transitur, dico ad discordiam, contentiones et simultates, quae per totam fere Pindari aetatem Graecorum civitates non solum distinebant, sed ad vim parandam concitabant. Quibus quum ante Persica bella effectum esset, ut Athenienses inter et Thebanos armis decertaretur [3]), eaedem Lacedaemoniis potissimum auctoribus Thebas quidem adhuc humi jacentes erexerunt, invidia deoneraverunt, atque ut aliquo in numero essent effecerunt; at vero ut gentis communi perniciem iis parari eventus docuit, ita partium factionumque studio Pindaricae musae discrimen

1) Fragmentum de pugna ad Artemisium. V. Plut. Themistocl. c. 8. Cf. Pind. Boeckh. fragm. num. 196. — ὅθι παῖδες Ἀθηναίων ἐβάλοντο φαεννὰν κρηπῖδ' ἐλευθερίας. De pugna Salam. et Plat. V. Pyth. I, 148-51.

2) Herod. VIII, 93, 122. Cf. Pind. Isthm. V, 60-63.

3) Herod. V, 76-78.

atque angustias exortas esse videtur consentaneum. In universum quidem hic quoque quae supra dicta sunt haud incommodum obtinent locum, bonas artes partium studio apud Graecos haud ita obnoxias, imo eas fuisse, quibus animi aliunde irritati et tumentes mitigarentur atque inter se reconciliarentur: verum Pindari musa, quae mediis in rebus civilibus versaretur, omnemque civitatum conditionem, laetitiam, aegritudinem, calamitates, bonos successus, res bello gestas, pacis instituta amplecteretur singulaque ejusmodi momenta pertractanda sibi sumeret [1]), vix potuit quin, inter aemulationis ambitiosae, malignae et invidiosae molimina, aut praetermittens eas res atque vicissitudines, quibus summa reipublicae sive fortuna sive gloria agebatur, nervos suos incideret, aut haec taliaque effando unius civitatis causae subscribens in alterius odium incurreret. In quo si forte ab urbe patria propter magnificas laudes, quibus Athenas celebraverat, multa plecteretur [2]), id quidem poetae probo patriamque communem amanti parum erat respiciendum: verum, ut ne, quae discordiae uberrimo semine dissito multimodis sejunctae essent civitates, eae vel levissimo addito momento infestiores inter se redderentur, summo opere caven-

1) Cf. disp. I, p. 13.

2) Verba e compluribus fragmentis (schol. Aristoph. nub. 299. Plut. glor. Athen. 350 B. etc.) concinnata sunt: Αἵ λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωται Ἑλλάδος ἔρεισμα κλειναὶ Ἀθᾶναι. De multa v. quos Schneiderus (*Pindar's Leben* p. 39.) et Boeckhius comment. p. 580 laudant.

dum erat, popularisque poetae animo malorum irritamenta procul abesse debebant. Rursus quam indigna ista videtur esse ratio, qua gloriosissima quaeque communi sermone relegentur, ut ne alterius invidia excitetur, quam anceps periculum, ut hac tacendi innocentia singulis parum acceptus, universis ambiguus evadas!

Igitur, ut infelicem Graeciae intestina discordia laborantis publicum statum propius intueamur, ante ipsa Persica bella partium tam late serpserat studium, ut non jam reliquarum pace immota singulae aliquot civitates hic illic inter se litigarent, sed singularum civitatum causis fere universae implicarentur. Quod quidem in Cleomenis expeditione adversus Athenas, harumque bello cum Aeginetis, Boeotis et Chalcidensibus gesto [1]) conspicuum est. Post Persas vero propulsatos haud longum est intervallum, ex quo, qui concordes adversus barbaros steterant, iidem arma ad se invicem infestandos magno cum spiritu pararent, neque jam, quaenam Graecis a barbaris timenda essent, summa haberetur cura, sed suspiciose domesticae agerentur excubiae. Quarum summa redit ad curam et metum, quem reliquis incutiebant Athenarum laetissima incrementa vastique per universam Graeciam dominandi spiritus. Siquidem dum Athenienses, maris, insularum et littorum affectantes imperium, plurimas civitates maritimas tam blande appellando, quam minis et vi in fidem suam accipiunt, oculo obliquo tuebantur

1) Herod. V, 74-92.

Lacedaemonii, qui primas inter Graecos se non amplius tenere bene intelligerent, Corinthii, qui, quum olim naves mercede proposita Atheniensibus commodassent [1]), nunc intra angustiores commercii fines in dies coërcerentur, Aeginetaeque, qui numerosas Athenarum classes ingruentis procellae instar ipsis imminentes sollicitі suspicerent. Quae quum ita essent atque propter Megaram maxime ab Atheniensibus occupatam Corinthii, Epidaurii et Aeginetae pugnis navalibus apud Halias et Cecryphaliam [2]) haud improspere dimicassent, deinde vero Athenae bellum adversus Aeginam internecinum parare viderentur, ipsarum adversarii de Thebanorum opibus, quibus ista dominatio coerceretur, restaurandis cogitarunt, unde, consilii exsequendi periculo facto Atheniensibusque contra nitentibus in Boeotia, Martis palaestra, belli alicujus omnium adversus omnes, quale post exstitit Peloponnesiacum, proelio ancipitis fortunae Tanagraeo [3]) primordia sunt capessita, Thebarumque pristinus per Boeotiam principatus restitui coeptus est [4]). Jam vero in hisce turbis factionum Doricae atque Jonicae, quae vocantur, diversa studia ita interlucent, ut, licet quae de diversa ratione, singulorum Graeciae populorum indolem, studia et artes in duas inter se oppositas partes sejungente, factionesque istas con-

1) Herod. VI, 89.
2) V. Müller. Aeginet. p. 175 sqq.
3) Thucyd I, 107. Diod. XI, 80. Plato Menex. 242 A. Pausan. I, 29, 7.
4) Justin. III, 6.

summante, fere disputantur caute accipienda sint [1]), aequabilitatem quandam inter Dorica et Thebana facile admittas; ejusque, si minus obtinuisset, arcessendae et praedicandae Herculis in urbe Thebis nati memoriam idoneum fuisse momentum [2]) patet. Quibus ita comparatis Thebarum status is erat, qui poetam Thebanum Athenas versus interque ampliores istas factiones in lubrico collocaret. Atqui Pindarum instituta Dorica praecipuo amore amplexum esse [3]), Lacedaemoniorum auctoritatem coluisse [4]), Aeginae vero fovendae omnes explevisse numeros, ex ipsius carminibus satis cognoscitur. Non tamen partes Doricas caeco impetu secutus Athenarum germanam praestantiam justis meritisque laudibus destitutam voluit, sed libere atque ingenue debitum ipsis honorem vel ringente civium invidia tribuit [5]). Quo quum mentem pravo partium obsequio liberam judiciique sui compotem atque disertam significaverit: rursus animi, quovis vituperio, qualibet diffama-

1) V. libellum meum *Jus gentium etc.* 1821. p. 51 sqq. et cf. Tittmann. Griech. Staatsverf. p. 550.

2) V. C. Pyth. X, 1-4. Cf. Dissen. ad Nem. IV, p. 382.

3) Pyth. I, 121-29.

4) V. Dissen. ad Isthm. VI, p. 536.

5) Exemplo supra posito adde Pyth. VII. 1. *μεγαλοπόλιες* 'Αθᾶναι; Nem. II, 25. 'Αχ*άρναι εὐάνορες*; Nem. V, 89. de luctandi magistro Athenis petendo.

tione et obtrectatione alieni [1]), omnem discordiae addendam cohortationem Tyrtaïcosque spiritus aversantis passim dispersa in carminibus vestigia haud obscura apparent [2]). Quippe si qua ea essent, vix ut silentio praetermitti possent, ea summis quasi digitis attigit, fabulosae plerumque antiquitati sententia accommodata, ut, quibus carmen compositum esset, iis satisfaceret, neque vero blanda simulatione civitatis alicujus gratiam captaret, neque partium acrem sectatorem, sed eum, qui singulis universisque bona quaevis cuperet, constanter sese manifestaret. Haec autem Pindari mens, ut, si qua ab una civitate adversus alteram imperiosa, violenta crudeliaque commissa essent facinora, articulatim iis enumerandis et amplificandis diuturnam animis iracundiam infigere, domesticorumque bellorum trophaea verbis extollere nollet, quanto est Delphorum oraculo castior, quod, licet lege vetusta coërcitum, ne de bellis domesticis responsa daret [3]), tamen promptissimum esset ad

1) Ol. I, 84. *ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρως.* Pyth. II, 96. *ἐμὲ δὲ χρεὼν φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν.* Cf. V. 100. reprehensionem Archilochi dicacis, et Nem. VII, 101 sqq. In primis fabulas religiosas verecunde ab ipso tractatas arguunt exempla, Ol. I, 75 sqq. de Pelope, XIII, 130. de Bellerophonte, (de quo tamen cf. Isthm. VII, 56.). N. V, 26 sqq. de Phoci caede.

2) V. quam caute Thebanorum bellicos apparatus adversus Athenas (Ol. 80.) tetigerit, Isthm. I, exord. cf. Dissen. p. 481; clademque ad Oenophytos Isthm. VII; ad quod carmen cf. Boeckh. p. 532, et Dissen. p. 536.

3) Xenoph. Hell. III, 2, 22.

auctoritatem suam istis interponendam, hospitumque sciscitantium frequentiam vel sic prave augendam.

Quae quum ita sint, ne longius in hisce haeream, ad Aeginae exemplum, quo acerrima Graecarum factionum studia, flagrantissimaque odia confluerent, et in qua rerum quasi cardo per tempus aliquod verteretur, supra disputata accommodare congruum videtur. Igitur Pindarus in Aegina celebranda multus [1]), Aeacidarum, Homeri vestigia legens, copiosissimus praedicator [2]), Thebarumque antiquissimam cognationem cum Aegina [3]) Telamonis cum Hercule hospitio et contubernio corroboratam [4]) glorians, in omne laudum genus effusus nil fere, quo civitas ornari possit verbis, reliqui fecit. Jam vero dum in haec incumbit, ubi Atheniensium impotente jam dominandi cupidine discrimen reipublicae sibi popularibusque suis familiarissimo vinculo junctae imminere videt, curas ejus a se non alienas esse significat [5]): sed caute et circumspecte, ut ne verbis contumeliosis laederet, quos vi coër-

1) Ol. VIII. Pyth. VIII. Nem. III, IV, V, VII, VIII. Isthm. V, VI, VIII.

2) Ol. II. 142-49. VIII, 40-69. Pyth. III, 154. VIII, 140-45. Nem. III, 56-111. IV, 41 sqq. 76 sqq. V, 17 sqq. VI, 75 sqq. VII, 38 sqq. VIII, 39 sqq. Isthm. V, 44-56. VI, 27-81. VIII, 47 sqq.

3) Isthm. VIII, 37 sqq.

4) Nem. III, 61-66. IV, 36 sqq. Isthm. VI, 39 sqq.

5) Pyth. VIII, 1 sqq. 41. Isthm. V, 65. Nem. IV, 53. 54.

cere non posset, neque iis perstringendis Aegina in tuto collocaretur concordiave universa conglutinaretur, invidiosa ista tractavit [1]).

Quum, secundum ea, quae hactenus exposita sunt, externum inter Graecas civitates sive belli sive pacis commercium Pindari prudentiam civilem non minus, quam animi integritatem sibi poscebat, tum tertii, quod nunc sequitur, capitis ratio inter diversa ipsius reipublicae constituendae et gerendae principia et studia Pindari musam ducet. Cujusmodi enim contentio in bello Peloponnesiaco Graeciam miserrime lacerabat, illudque bellum nigro aliquo veneno miscebat, ut alieno arbitrio rerum publicarum status convulsi contra ordinarentur, ejus principia jam in turbis, quibus ad illius belli discrimina Graecorum vires et odia exercebantur, animadvertuntur. Si quidem quum primum post Persas propulsatos inter Athenas earumque adversarios bellum glisceret (Olymp. LXXX, 457 a. C.), ne regimen Athenarum populare, Lacedaemoniorum, qui in Boeotia castra posuerant, opera, periculum fieret abrogandi, summa suscipio erat [2]); sin ad vanam et fere insanam plebis Atheniensis, febri aliqua politica laborantis, de statu publico

1) De ratione, qua Pindarus Aeginetica tractaverit v. Boeckhii et Dissenii acutissimas eruditissimasque observationes, praecipue p. 73. 308. 312. 382. 445. 517. 539.

2) — καὶ τȣ̃ δήμȣ καταλύσεως ὑποψία ἦν. Thucyd. I, 107.

populari sollicitudinem et ne quid novi accideret timorem [1]) aut magis ad factionis cujusdam Atheniensis, quam ad Lacedaemoniorum aliquod molimen, illa refers: eosdem Athenienses paullo post, pugna ad Oenophytos commissa, quum Myronide duce per Böotiam dominarentur, regimen ibi populare instituisse fere constat [2]). At enim ejusmodi rerum publicarum constitutiones, quales in bello Peloponnesiaco subinde emergebant, ad eam rationem, quae aliquam unam e variis vitae civilis formis prae ceteris aut per se probat, aut pro re nata civitati alicui maxime convenientem judicat, et veteris Graeciae legumlatoribus, aesymnetis, qui vocantur, matribusque coloniarum pluribus attribuenda est, nihil omnino adtinent. Etenim dum Athenienses populari nusquam non instituendo regimini dant operam, optimatium vero Lacedaemonii, utrique rationem alienae quidem rei publicae parum curantes civilem, quodnam vero ipsis inde nasciturum esset commodum unice spectantes, id studium toto coelo, ut ajunt, specie, forma et notione civitatis bene constituendae distat, neque aut a doctrinae civilis principiis sanis in eo quicquam pendet, aut quidnam de regio, optimatium, populi imperio in genere ab aliis judicetur, magnopere quaeritur. Qualiscunque demum sententiae de hisce dicendae per reliquas Graeciae aetates fuerit libertas, Pindari saltem aetate, qua nondum aliena

---

1) V. ap. Thucyd. VI, 27 sqq. historiam judiciorum de Hermis mutilatis habitorum. Cf. Andocid. myst. p. 18 sqq. ed. Reisk. et de reditu p. 78 sqq.
2) V. Thucyd. III, 62. Platon. Menex. 242 A.

ad proprium usum accommodandi maturuerat ista impudentia, non erat, quod poeta unum alterumve regimen in genere sive reprehendens sive commendans talem censuram sibi praejudicio et fraudi fore timeret. Quae quum ita sint, non magis in singulorum universorumque commercium cum civitate aliter constituta haec regiminis diversitas valebat. In quo quidem regni legitimi, quale Spartanum, Cyrenaeum, Macedonicum, barbarorumque regna habebantur, perfecta et absoluta auctoritas dubitationem nullam habet: imo status et existimatio hujus erant honorificentissima, atque, licet in turbis, quibus post Dorum et Heraclidarum in Peloponnesum migrationem Graeciae civitates fere cunctae concutiebantur, sive genus, sive imperium regium plerumque exiisset, nusquam non memoriae ejus caritas aliqua remanserat, quae vel a civitatibus posthac conditis assumeretur, ut apud regii generis superstitem nobilitatem aut reipublicae administrandae summa [1]), ut apud optimatium senatum, permaneret, aut eidem splendor quidam et munus praecipuum tribueretur [2]), aut regium nomen inderetur magistratui primario [3]), antiquitate denique heroica, qua regis persona fere contineretur civitas, cuncti delectarentur. At tyrannorum,

---

1) Tales Basilidae Erythraei Aristot. Pol. V, 5, 6. Bacchiadae etc.
2) Ita Codridis Ephesiis. Strabo XIV, 633. Casaub.
3) V. C. Thessalorum ταγῷ. Thucyd. I, 111. Cf. Herod. VII, 6. de Aleuadis: οἱ δὲ Ἀλευάδαι οὗτοι ἦσαν Θεσσαλίης βασιλῆες. Tarentinorum supremo (?) magistratui. Herod. III, 136. Cf. Mazocchi tab. Heracl. p. 97.

qui civitatis alicujus regibus non jam parentis imperium usurpaverant, diversam fuisse existimationem quispiam dixerit. Quod si de statu domestico accipitur, tyrannorum nomen nusquam non invisum fuisse, nemo ignorat; contra, ubi aliena, sive Graeca sive barbara, agebantur, rei conditio differebat. Namque, modo ut civitates aliquot intimo junctas foedere secernas, reliquas aliena parum curasse, ne satis cognovisse quidem, quaenam inter reipublicae alicujus praesidem qualemcunque atque cives intercederet ratio, facili negotio demonstratur. Quare falsam honoris speciem, quo Lacedaemonii propter opem Atheniensibus adversus Pisistratidas latam ornari solent, eorundem cum hisce hospitio ante istam expeditionem [1]), atque poenitentia, qua ducti paullo post illos reducendi consilium ceperint [2]), disjicendam esse supra dictis convenit: e contrario idem fuit causae, cur Herodotus, animosissimus Athenarum Pisistratidis liberatarum praeco [3]), tyrannos aliquot regio nomine appellaverit [4]), atque sic nominis invidia deoneraverit. In genere autem singulorum et universorum hospitium, foedus, familiaritas cum externarum civitatum principibus, sive legitimis, sive qui tyrannidem occupassent, liberrime patebant, neminique invidiosa haec taliaque habebantur. Igitur ut ante Pindari aetatem apud Croesum celebratissimus Graecorum hominum scientia et arte

1) Herod. V, 63. 2) Herod V, 92.
3) V, 78. 4) III, 59. V, 26. 27. 35.

clarorum conventus fuerat [1]), postea Polycrates Samius aliquam ejus speciem retulerat [2]), Pindari vero aequalium celeberrimi quique apud tyrannos ipsius Graeciae frequentes erant [3]), ita inter flagrantissima popularis regiminis studia viros quovis nomine spectabiles apud alienarum civitatum principes versari animadvertimus [4]). Jam quum publicum pariter ac privatum ejusmodi commercium minime invidia flagraret, id tamen intererat, ut in publicis foederibus palam quaereretur utilitas, honesta vero species virtutis in usu privato sustentanda esset. Proinde ut cujuscunque viri honesti, ita Pindari maxime, virtutum popularium praeceptoris, auctoritas et existimatio secundum personam, quam egerit inter aulicas illecebras, aestimanda est, quae ubi vanitatem, lucri cupidinem et turpe

1) De Megacle v. Herod. VI, 125. Cf. schol. Pind. Pyth. VII, exord. De Miltiade seniore v. Herod. VI, 36. de Solone eund. I, 30 sqq. de Thalete I, 75. *Οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά.* Pind. Pyth. I, 184.

2) De Anacreonte apud eum commorante v. Strab. XIV, 638, de Ibyco v. Suid. Ἴβυκος. Cf. Panofka res Samiorum p. 35. 36.

3) Aeschylus apud Hieronem, urbe patria exsul. Ibidem Simonides et Bacchylides. De Simonide apud Scopadas Pharsalios degente v. Heindorf. ad Platon. Protagor. §. 72.

4) Nominatim appello Euripidem et Platonem, quorum hic quidem illius sententiam de tyrannis severe castigat Reip. VIII, 568 A. sqq., ipse autem honestissima cum Dionysio juniore consuetudine insignis est inter eos, quos volo.

obsequium Pindari moribus arcenda esse arguerit, ipsius commercii obtrectationem non moramur.

Igitur qua Pindarus familiaritate est usus cum Hierone Syracusano, Therone Agrigentino eorumque necessariis atque ministris, v. c. Thrasybulo [1]) Chromioque, cum Arcesilao Cyrenaeo, Aleuadis Larissaeis [2]), Alexandro Macedone [3]), aliisque [4]), ea apud neminem veterum, quot quidem ipsi aequales neque simul rivales fuere, Pindaro fuit opprobrio. At vero apud sordidarum aetatum literatores, ingenii pusilli angustique animi homines, acris et maligna morum censura ipsi subeunda fuit, atque avarus, praedicandis divitiis animum pascens turpique adulatione rei familiaris augendae studiosus certatim appellatus est [5]). Quae quidem crimina Pindari patronus aliquis ita diluere conetur, ut in universa Graecorum hominum post bella Persica [6]) corruptione, auri fame omnia

1) Fragm. Boeckh. 89.

2) Pyth. X, 99.

3) Fragm. Boeckh. 85. Cf. Solin. polyhist. c. 14.

4) De Pindari hospitiis in universum v. Dissen. Nem. VII, p. 431.

5) Schol. Ol. I, 1. Pyth. II, exord. III, 195. Nem. III, 1. IV, 122. V, 1. VI, 25. Isthm. II, 1. 9. 19. V, 2.

6) Cf. de superiore tempore parum dissimili Hesiod. op. et d. 683. et Aristodemi Spartani dictum χρήματ' ἀνήρ etc. ap. Diog. Laert I, 31. ex Alcaeo. Cf. schol. Pind. Isthm. II, 17.

vitae publicae atque privatae instituta permeante, unumquemque de altero ex se ipso conjecturam fecisse, omneque studium, ut aurum spectasse, ita ex auro aestimatum esse contendat: attamen ambiguo Pindari hoc patrocinio non opus est; nam quibus Pindarus aspersus esse videtur maculis, eae plurimam partem sunt observationes ave sinistra ex ipso Pindaricorum carminum textu haustae, quae adeo non lucis quicquam afferunt, ut justae interpretationis face admota tenebrosae caecique erroris refertae conspiciantur. Quibus quum nihilominus a recentioribus nonnullis fides habita sit, contra qui Pindari causam egerint, non defuere [1]). Horum vero sententiae, causae jam dudum victrici subscribentes, toto ex animo adstipulamur. Si quidem quamvis Pindarum mercede constituta pangere carmina non magis quam Simonidem, moris hujus auctorem [2]), recusasse, ipsius testimonio luculento prolato [3]), dubitari nequit, non est, quod musam hanc mercenariam, sive quis poëta mercede pacta composuerit carmen, sive donis et muneribus [4]) opera ejus fuerit compensata, minus spectabilem apud aequales Pindari habitam esse censeamus, modo ne ipsam poëta

1) Contra Schmidium, Wielandium, Gedikium v. Gurlitt. V. Cl. deutsch. Merk. 1785. num. 8; Heyn. ad Nem. V.

2) Schol. Isthm. II, 9.

3) Pyth. XI, 62.

4) V. fragm. Boeckh. num. 72. 73.

impura lucri cupidine humiliaverit, falsa pro veris venditaverit, et verbis servilibus homines infames et turpes laudando statum, partes et mores suos profanaverit.

Verum enimvero annon argumenta, quibus Pindari animus corruptus probetur, ex ipsius carminibus peti possint, quaeritur. Quippe virorum nequaquam virtute spectabilium, v. c. Hieronis et Arcesilai, frequens praeconium [1]) indignum aliquid redolere videtur. At rectius judicabit, qui in istis laudibus non tam de eo, quod honestum sit, quod contra, caecum pravumve Pindari judicium animique ob quaestum dissimulatam sententiam, quam poëtici oris agnoscet abundantiam, verborum pondera aliter exigentem ac in conscribenda rerum memoria vel testimonio dicendo fieri oportet. Proinde Pindari consuetudinem, vel jurejurando tale quid affirmandi [2]), ne velis judicialium sive religiosarum veritatis testandae formularum fide, vi et potestate ponderare: potius haec atque talia referas ad spiritum ornamentaque poëtica, simul autem ad communem Graecorum, ubi nemo dubitare videtur, asseverandi morem [3]);

1) Pyth. I, 82 sqq. Cf. Boeckh. p. 234. II, 102 sqq. V, 145.

2) Pyth. I, 133. 166. II, 97. Cf. Ol. II, 161. IV, 28. XIII, 72. Nem. I, 28. XI, 30 etc.

3) V. Aeschyl. Prom. 610. 1030. suppl. 279. Agam. 880. 1081. Ita solent nuncii v. sept. adv. Theb. 636. Agam. 622. 677. Sophocl. Electr. 47. 61. 1217. Antig. 1177-79. Oed. Col. 935. 1665.

neque igitur de hisce aliam ac de figuris oratoriis feras sententiam. Nisi forte ad eorum, quos intentiore cura celebrandos sibi sumpsit, invidiam adversumque rumorem aliquot loci [1]) pertinent.

Contra verax os ipsi dandum est, ubi non tam dulces Musarum flores, quam prudentiae civilis morumque doctrinae fructus decerpendos offert; ab animi vero sordidi et foedi quaestus crimine eundem vindicandum esse, ratione, qua statum suum apud principes et optimates sustinuit, luculenter significatur. Namque etiamsi poetarum sive jure seu venia usus speciosius quam verius praeconis munere interdum functus est, virtutum simul magistrum ita praestat, neutiquam ut impotentis arbitrii, insanae libidinis, morumque turpium blandum praedicatorem, sed libere, graviter et severe commonefacientem censorem [2]), reipublicae male gestae reprehensorem [3]) meliusque posthac gerendae admonitorem et suasorem [4]), denique eum, qui tam laudibus praecepta intermisceat, quam laudis modum esse servandum moneat [5]) sese ex-

1) Ol. VI, 32. *ὀ φιλόνεικος ἐών.* Cf. 124. V. Boeckh. p. 163. Similiter de Chromii invidia Nem. I, 26. Cf. Dissen. p. 353.

2) V. Boeckh. ad Pyth. II, p. 243-45.

3) V. Boeckh. ad Pyth. III, 256. IV, 264. 278. Dissen. ad Nem. II, 480.

4) Eo pertinere videtur Pyth. I, 106. 191. de fide et fama principis.

5) Pyth. I, 157.

hibens, Tiresiae divinas sortes et leges effantis [1]) referat speciem. Hinc demum quae perperam habita est avaritia rectius judicanda est. Etenim ubi ad liberalitatem, munificentiam similesque virtutes Pindarus cohortatus est, non ad privatum commodum collineavit mentem, sed quibus virtutibus principes potissimum ornatos esse debere, Homeri, in his quoque lyrico poetae imitandi auctoris, instar, persuasum sibi habebat, eas celebrando commendavit.

Denique, ut quae e contrario forsitan quispiam dixerit sibi displicere neque cum virtutis modestia congruere, ea quoque diluere ne praetermittamus, Pindarus non solum ingenitae praestantiae [2]) optimarumque artium studii sibi conscius, vili stipatorum grege, inter quos apud Hieronem aliosque versabatur, superiorem sese esse, istosque homunciones flocci non facere significat, sed dignitatem suam ingenue atque grandiloquentia usus quadam, ut nunc videtur, frequenter profiteri haud veretur [3]). In quo si quis arrogantem, vaniloquum, ac fere ineptum et stolidum increpans Pindarum hunc sensum suum ad Graecos ideoque ad

1) Sophocl. Antig. 1043 sqq. Oed. tyr. 379 sqq. Eurip. Phoen. 841 sqq.

2) σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. Ol. II, 155. Cf. IX, 152 sqq. XIII, 24. ἀπὰν δ'εὑρόντος ἔργον. Pyth. VIII, 62. Nem. I, 35. III, 69. V, 73. VI, 79.

3) Ol. II, 155-57. IX, 35. Pyth. I, 86. II, 176. III, 191 sqq. IV, 441. Nem. III, 138. IV, 64 sqq. V, 40.

Pindari, ut talis, apud eos existimationem transferat, eum ingenium Graecorum populare parum perspexisse, quin pronuntiem, non haesito. Si quidem ea fuit apud Graecos solennis virtutis ratio, ut quum magna quaecunque capesserent, haec studia laude honoreque digna prae se ferre atque ostentare haud inverecundum ducerent [1]). Nimirum ea laudatio propriae excellentiae, praeterquam ex innata superbia, ex invidentia ubique vigente sycophantarumque obtrectatione, qualem nos fere ignoramus, et e frequenti criminum jure judiciali diluendorum necessitate [2]) aestimanda ad ipsaque rerum publicarum instituta, quae praemia [3]) aeque ac

1) Odyss. IX, 19. 20. εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης — καί μευ κλέος ὐρανὸν ἵκει. Exemplorum luculentissimum ecce Alcibiadem Thuc. VI. 16 sqq. De ducibus civitatum Graecarum qui ad Salamina dimicaverant v. Herod. VIII, 123: — πᾶς τις αὐτέων ἑωϋτῷ ἐτίθετο τὴν ψῆφον, αὐτὸς ἕκαςος δοκέων ἄριςος γενέσθαι. Ut animi causa levius aliquid addam, sese ipsum altero in communi sermone priorem nominare vix quisquam Graecorum haesitabat. V. ἐμοὶ καὶ σοί. Platon. Protag. 352 D. Cf. Parmenid. 129 A.

2) De Pericle v. Thuc. II, 60 sqq. de Epaminonda Corn. Nep. 8. Adde Socratis apologiam, de qua recte recte judicat *Socher* über Platon's Schrift. p. 71. 72, et Lysiae apolog. δωροδοκίας p. 697 sqq. ed. Reisk. Plura v. ap. Plutarch. de sui laude VIII, p. 137 sqq. ed. Reisk.

3) Inde Miltiades θαλλȣ̃ ςέφανον sibi poposcit, Plut. Cim c. 8; Cimon sibi victoriaeque ad Eionem sociis δωρεὰν, Aeschin. Ctes. p. 572. Reisk. Cf. eund. 574. de picturae proelii petitione.

poenas proponerent, accommodanda est. Quam inter vanamque jactantiam quid intersit, Romanis non minus quam Graecis liquido constitisse, si minus pompa triumphalis, aut Ciceronis nimia ipsisque Romanis parum accepta [1]) vaniloquentia, at Scipionis Africani rei facti egregia verba manifestant [2]).

---

1) Plut. de sui laude p. 139.
2) Liv. XXXVIII, 50. 51.

Prolusione defuncti festum, cui inscripta est de Pindaro commentatio haec altera, negotium,

FRIDERICI VI.

Regis Augustissimi, Domini Clementissimi

Natalitia

capessamus. Haec, qua decet pietate et reverentia, ab academia Christiana-Albertina more solito ita agentur, ut ab eloquentiae professore communia pro *Regis Optimi* salute verbis conceptis pronuntientur vota. Quam ad orationem festa corona ornandam ut frequentes congregari velint, quotquot *Regem* pio prosequuntur sensu, Rectoris et Senatus academici mandato rogamus, nominatimque *Excellentissimum Academiae Curatorem*, urbis hujus patres consultissimos, academiae cives musarumque cultores humanissimos, atque reliquos incolas, ad quos patriae simul et litterarum pertinet hoc officium, invitamus.

Dab. Kilon. XXVI d. m. Jan. MDCCCXXIV.
